





*M* *Dubl* *(52)*  
ERNESTI FRIDER. WERNSDORFII  
*A7*

TH. D. ET P. P. ORDINIS SVI SENIORIS ET  
H. T. DECANI

COMMENTATIO

DE

# COLVMB A


AVRICVLAE GREGORII M. ADHAERENTE

I P S I S

PENTECOSTALIBVS SACRIS

A N. MDCCCLXXX

P. P



---

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII



DE  
COLVMB A GREGORII M  
IN AVRICVLAM EI INSVSVRANTE

**D**e Columba, SPIRITVS SANCTI figura, quam amari ab ecclesia TERTULLIANVS iam est professus, edidimus ante hos septem annos libellum peculiarem: <sup>a)</sup> in quo ex antiquitate ecclesiastica descripsimus Columbae simulacra, quae in coemeteriis, altaribus, ambonie, baptisteriis, aliisque locis posita deprehenduntur, alia coloribus picta, alia caelando expressa, eaque aut prominentia ex plano, aut solida et integrum corpus habentia, laborata in omni genere metalli et alias materiae.

Sed non recensuimus tum alia Columbae simulacra, nisi ea quae posita essent in locis sacris. Nunc animus est, uelut in quoddam supplementum, alias persequi figuratas columbinas, quas non ad locorum religionem, sed ad hominum sanctitatem et diuinitus haustram sapientiam demonstrandam adhibuerunt.

Ac primum se obrulit menti nostrae imago GREGORII M. Rom. Pontificis, cuius humero dextro insidet COLVMB A, in auriculum ei insusurrans. Istam igitur imaginem hoc tempore, quo CARISSIMIS CIVIBVS NOSTRIS indicendum est Sollemne Spiritus Sancti, qui sub Columbae figura quondam se manifestauit, consideremus,

A 2

et

a) De Simulacro Columbae in locis sacris antiquitus recepto Comment. an. 1773. Pentecost. sollemn. P. P.

et quae caussae mouerint homines, ut GREGORIO comitem et amicam darent COLUMBAM, uideamus.

Notum est, Veteres Christianos Spiritus Sancti opifulationem et singularem praesentiam indicare solitos fuisse, columbae superius aduolantis lucemque fundentis figura, quod, ut PAVLLINVS NOLANVS canit, *Spiritus Sanctus per Columbam fluere*. Eius rei exempla praebent antiquae conciliorum ecclesiasticorum picturae, in quibus exhibetur Spiritus Sanctus *σωματικῶς* *εἶδεν ὡς εἰ περιπέσα*, ut significent, eum Patribus praeisdem et adiutorem adfuisse.<sup>b)</sup> Quarum picturarum aliquae adeo ineptiunt, ut istam Columbae figuram haud ferme aliter fistant, ac veteres Romani Iouem pluvium exprimere solent.<sup>c)</sup>

Porro etiam in antiqua cathedra episcopali reperias in eius summitate speciem expressam Columbae, ad idem praefidium et adiuto-

<sup>b)</sup> Plura Concilia, oecumenica maxime, sic ab Antiquis depicta fistuntur, ut Spiritus Sanctus columbae specie super congregatis patribus pendaat. At nouitatis specie ac fraudis suspitione haud caret pictura illa Concili Rom. I. valde incerti, quod sub Siluestro in Thermis Traiani celebratum volunt; quam picturam a Carmelitanae familiae patribus in aede S. Siluestri Romana adpensam exhibet PAVLLVS ARINGHIVS Romae Subterr. Lib. IV. p. 183. Ibi columba, Sp. S. figura, lucis suae radios in congregatos patres late spargit: sed Siluester Episcopus in throno sedens, pontificali habitu uestitus, et tiara testis, a dextra Constantimum M. a sinistra Helenam eius matrem habet. Praeterea etiam alia multa, Historiae aduersa, et ad stabilienda quaedam romanae ecclesiae placita composita, ibi traduntur.

Cuiusmodi exempla plura memorat G.F. HENR. GOETZE dill. de *Pictura papismi promotrice* Lub. 1713. P. P.

Magis placet ea Concilii pictura, quae in throno pontificis collocatum exhibet codicem sacrum, qui est unus et uerus et proprius iudex in decisione de religione controuersiis. Talem Concili generalis an. 381. celebrati delineationem ex noni saeculi Cod. MSS. Gregorii Naz. regio Parisiensi, exhibet ANSELMVS BANDVRIVS Hisp. Byzant. T. II. pag. 937. repetitam illam a I. A. FABRICIO Biblioth. Gr. T. XI. ubi in medio stat summo loco thronus, in quo positum est magnum volumen explicatum sacrae Scripturae, ut ad cuius oracula exigenda sunt omnia. Proximus ante episcopos adfider Theodosius M. Imp. Vide PET. ZORNII Hisp. Bibliorum pictorum pag. 48.

<sup>c)</sup> Est

adiutorium Spiritus Sancti denotandum.<sup>d)</sup> At, quae induxerit ratio eos, qui Gregorium M. praeter caeteros ita distinguunt, ut eius humero dextro insidet Columba, et, quemadmodum in fabula est de Muhammedo, rostrum admoueat auriculae Pontificis, non facile poterit definiri, praesertim, quum ea res antiquitati et disciplinae ecclesiasticae penitus aduersetur.

Adferam duo tantum eiusmodi imaginis exempla. Primum subministrat is, qui nouissime *sacrarum Vaticanae Basilicae cryptarum Monumenta*, aeneis tabulis incisa, et a PHILIPPO LAVR. DIONYSIO commentariis illustrata, edidit ANGELVS DE GABRIELIS Princeps Praxeaudis, Romae 1773. in fol. Quo opere Tab. XXVIII. exhibetur marmor anaglypticum orbicularis figurae, quod Innocentii VIII. ciborium olim dicitur exornasse, hodie autem in Vaticanae confessionis sacrario uisitare. Id praefert Gregorium M. dextra be-

A 3 nedicen-  
pag. 362. exhibet, in quo episcopalis cathedra delineata compicitur, quam ambient utrinque ornamentorum intar lamina, cui supra insidet Columba ferro exculpta.

Illud probari non potest, quod uult ARINGHIVS Columbam in cathedra episcopali locum ideo habere, quia admirando saepe prodigo in Pontificam Rom. et orthodoxorum episcoporum electionibus e caelo suffragium adfuerit, et columbae indicio illae factae fuerint. Constat quidem ex EUSEBII Hist. Eccl. Lib. VI. c. 22. Columbam in Fabiano Episc. Rom. capite infidelis, atque ita ei suffragium detulisse. Sed quae Aringhius deinceps adserit ex Lippomani et Suri Attis S. S. et ex EUBEI Hist. Rauennat. exempla quam plurimorum episcoporum Rauenatenium, Columbae indicio electorum, ea rem non

c) Est in quam plurimis altaris et baptisteriorum Romanis eiusmodi figura Spiritus Sancti, quae conueniat cum Iohanne pluvio, quem columna habet Antoniniana, et aeneis tabulis exprellant in proposuit SIGEB. HAVERCAMPVS Edit. TERTULLIANI Apologet. pag. 63. Euolue modo PAVILLI DE ANGE-  
LIS Descriptionem Basilicæ S. Mar-  
mai. Romae 1621. fol. max. c. sig. edita  
tam ubi in ara templi maxima cernitur talis figura pag. 93. nec a me dif-  
fenties.

d) Ad indicandam Sp. S. in tradendo uerbo diuino praalentiam ueteres Christians in summa cathedra episcopali figuram Columbae posuisse, documentum est marmoreum fragmentum in coemeterio S. S. Marcellini et Petri Martyrum a Bosio repertum, quod ARINGHIVS Romae Subterr. Lib. VI.

nedicentem, sinistra tenentem librum. Gregorius est amictus pluiali tegusque chiroteis, capite redimito tiara seu triplici corona, multo illa recentiore Gregorii temporibus, insidente humero eius dextro Columba, quae rostro auriculam eius appetit.<sup>f)</sup>

Alterum exemplum in praestantissimo habemus opere, quod Reuerendiss. MART. GERBERTVS, S. R. I. Princeps et Abbas S. Blasii in filia nigra, *de Cantu et Musica sacra* edidit.<sup>f)</sup> Cuius operis in fronte cernimus ex ueteri Manuscripto San. Gallensi Saec. X. expresam imaginem Gregorii, habitu episcopali in cathedra uelo exornata sedentis, cum columba humero eius insidente, et aliquid in auriculam suggerente. Ante Gregorium est figura monachi, notulas, dictante Gregorio, scribentis.

Sequitur in operis ipsius frontispicio ex MS. Veronensi Saec. XI. pictura aere expressa, qua Spiritus Sanctus Columbae speciem indutus, lucis suae spargens radios, illustrat uelum, quod genii nubibus circumdati portant, cui haec inscripta sunt uerba, notis musicis superius distincta: *Sanctissimus namque Gregorius, quem preces effunderet ad Dominum, ut musicum tonum ei desuper in carminibus dedisset, tunc descendit Sp. S. super eum in specie Columbae, et illustrauit corda eius,*

non conscient. Videt ubique Columbas AVNEVS, qui explicaturam musici operis in Ecclesia S. Vitalis Ravennae, aquam Iufraleni e uasis medio in altum profiliuentem et recidendo inuersi crateris formam experimentem, pro Columba habuit, quae alarum in aquas concusione Theodoram Augustam non sine miraculo adspersisset, iure idem reprehensus a JOH. CIAMPINO *Vet. Monument. Musiciis opp. aed. sacr. Tomo II. p. 74.*

e) Mature satis, et sapienter cognoscens nouitatem figurae *Commentator*, dum Tabulam explicat, eius incisori errorem adsignat, scribitque pag. 72. „Rutilus netuiores, ex iis, quos actas posterior inuexit, metitus lapidis incilor, praefulsi capitii tiaram impoavit plurimis ornamentiis decoram, qua certe per id tempus Romani Pontifices minimi utebantur.“

f) Prodiit typis San. Elafianis an. 1774. duobus Voil. in 4 mai.

g) Lib.

*eius, et sc̄c deum exorsus est canere, ita dicendo: Ad te leuaui. Alleluia.*

Idem Reuer. Abbas adfirmat, cerni passim in monumentis litor-  
gicis, a se uisis, adumbratam S. Gregorii sedentis imaginem, Spiritu  
Sancto specie Columbae dextrae auri adhaerente.<sup>g)</sup> Qui idem spe-  
ctaculum suis in monumentis, Vitis maxime Pontificum Romano-  
rum, exhibendum putarunt recentiores Scriptores mire uariant. Apud  
**ALPHONSVM CIACCONIVM<sup>h)</sup>** Columba sinistrum Gregorii oculum  
perit, quae apud **IOH. PALATIVM<sup>i)</sup>** scribentis Pontificis calamo  
rostrum admouet, alibi insider Columba libro curae pastoralis a  
Gregorio composito, quem is manibus tener explicatum.<sup>k)</sup>

Sed opus non est, plura exempla commemorare. Inquiramus  
iam in caussas huius ornamenti et decoris Gregoriani, quod Ponti-  
fici ab hominibus tributum est, ut ei, et scriptis eius, plus auctori-  
tatis adiungerent, non satis prudenter, quum superstitionis tene-  
brae omnia oppressissent.

Occasionem exornandi Gregorium eiusmodi Columba sine  
dubio dedit narratio eius, qui Gregorii Vitam scripsit, **PAVLII**  
**Aquileiensis Ecclesiae diaconi<sup>l)</sup>** qui dicit: *A fideli et religioso viro,  
Gregorio familiarissimo<sup>m)</sup> fideliter post obitum eius nobis<sup>n)</sup> narratum didi-  
cimus,*

g) Lib. II. Part. 2. pag. 2.

h) Vit. Pontificum Rom. edit. Romae

1677. T. I. pag. 402.

i) In *Gefis Pontificum Rom. imagi-*  
hieroglyphicis, numismat. illustr. *Venet.*  
1687. T. I. pag. 271. ubi statuae haec  
subiecta leguntur uerba: *Columbae sub*  
*specie quae Gregorio calamus exhibet,*  
*uenerare Sp. S. quo distante tam sacra*  
*et sancta pro Ecclesiae tutela exarauit.*

k) *Histoire du Pontificat de S. Gre-*  
*goire le Grand par Mons. Maimbourg*

Par. 1686. in 4. habet in fronte hanc  
figuram tabulis aeneis expressam.

l) Opp. Gregorii ex Edit. Benedicti-  
norum e Congreg. S. Mauri T. IV.  
p. 15. Habetur tanquam Anonymi  
opus in Actis S. S. Antwerp. Bolland.  
menf Mart. T. II. p. 130. Edit. Antwerp.

m) Gregorii familiarem et exceptio-  
rem effe Petrum Diaconum, quo cum in Dia-  
logis loquatur, docuit IOH. MABILLO-  
NIVS *Annal. Benedicti Saec. I. p. 407.*

n) Adnotant Benedictini Monachi I.

1. in

cinus, quod, quem is uisionem ultimam Ezechielis interpretaretur, obpansum uelum inter ipsum et eundem exceptorem tractatus sui,<sup>a)</sup> illo per interna prolixius reticente, idem minister eius filo perforauerit, et euentu per foramen conspiciens, uidit Columbam niue candidiorem, super eius caput sedentem, rostrumque ipsius ori diu tenere appositum, quae, quem se ab ore eiusdem amoueret, incipiebat sanctus pontifex loqui, et a notario graphium ceris imprimi. Quum uero reticebat S. Spiritus organum, minister eius oculum foramini iterum applicabat, eumque ac si in oratione levatis ad coelum manibus simul et oculis, Columbae rostrum more solito conspiciebatur ore suscipere.<sup>b)</sup> Quod tandem eodem spiritu reuelante, Pontifex cognovit, et uehementissime tristis effectus, interminatus est auctoritate apostolica miraculi in se perpetrati conscientia, ne in uita sua id alicui quoquomodo patet. Quod is interim secretum custodiens, post defunctionem Gregorii, compulsus quorundam iniudia, qui obtrebatabant uirum, prasumptionis tumore tanta ac talia de caelestium arcanorum mysteriis suisse locutum, haec ita se per omnia uidisse fideliter euarravit.

Qui Sae*c.* VIII. itidem Gregorii vitam composuit **IOHANNES DIAC.**<sup>c)</sup> refert, quem scripta quaedam Gregorii post mortem eius fuissent

I. in quibusdam Codd. omnissam esse uocem nobis, et legi simplier narratum. Sapienter profecto et tempellive, qui decudentis amplius annis post mortem suam, nihil potius Paullo narrare.

<sup>a)</sup> Quoniam obseruationes Gregorii in Ezechiem Paulus adpeller tractatum et Iohannes memorat eundem tractatum iuuabit ex antiquitate ecclesiastica hoc loco adnotare ac repeteret, priscis ecclesiasticis Scriptoribus eos passim dici tractatores, qui faciles libros vel uoce uel scripto exponerent atque interpretarentur. Idem etiam concionari tractare

dicunt, et conciones tractatus, et eum, qui locum aliquem facrorum librorum ad populum interpretaretur, tractatores: quemadmodum adlati prope innumerabilibus exemplis demonstrauit **BERNARDINVS FERRARIUS** Lib. de *Ritu sacrarum Eccl. Vt. Concionum* Lib. I. c. 2.

<sup>b)</sup> Igitur, si Gregorium familiaris eius Petrus uidit ore excipientem rostrum Columbae, deberet Praeful ira pingi, ut columbae, suo capiti supernatantibus, ore exciperet, non ut humeris

fuissent combusta, et reliqua inuidi uoluissent exurere, Petrum Diac. uehementer obstitisse, et dixisse, sacrilegium esse, tanti Patris tot et tales libros exurere, super cuius caput ipse Spiritum Sanctum in similitudine columbae tractantis frequentissime perspexisset. Denique in hoc prouocasse, ut, si, quod dixerat, iure iurando confirmans mori continuo mernisset, ipsi a librorum excusione defisterent. Itaque cum Euangeliis in ambonem Petrus ascendens, mox ut Gregorianae sanctitati testimonium praebuit, inter verba confessionis spiritum efflauit, a dolore mortis extraneus. Hinc est, quod consuetudinaliter Spiritus sanctus in specie Columbae aper scribentis Gregorii caput depingitur.

Haec Iohannes. Cuius uerba, si cum Paulli narratione contuleris, nullo negotio deprehendes pugnam, et multa indicia, quae historiolam suspectam reddant, et per dolum excogitatum arguant.<sup>r)</sup> Etsi enim Paullus tacet nomen Syncelli, quo eodem Gregorius familiarissime utebatur, quem Iohannes Petrum nomine appellat: non tamen poterit Paullus, qui Saec. VIII. labente uixit, de aequali Gregorii ex Saec. VI. ita scribere, ab eo nobis narratum didicimus.

ris incidenti dextram auriculam praeberet.

q) Opp. Gregor. laudatae Editionis T. IV. p. 169.

r) Fraudem subodoratus ARCHIBALDVS BOWERVS in Historia Pon if. Rom. T. III. p. 634. Versionis Rambach scribit: Der Diaconus Petrus, ein großer Bewunderer Gregorii und seiner Schriften, füldig sich zu rechter Zeit ins Mittel, und versicherte das Volk, daß alles was Gregorius geschrieben, ihm von h. Geist dictirt worden, den er selbst vielfältig in Gestalt einer Taube gefehlen,

Quae

die ihm zu der Zeit, wenn er geschrieben, etwas in die Ohren gefüllter hätte. Dieser Gesicht wurde geglaubt, und die Wuth des Volks legte sich, und die Schriften Gregorii wurden gerettet. Um dieser geglaubten Erscheinung willen, wird Gregorius zuweilen mit einer Taube am Ohr gemahlt. Der Diaconus hatte vermutlich von der Erscheinung oder andächtigen Beträuge gehört, durch welchen Iulius Proculus den römischen Rath gerettet, daß er nach dem Tode des Romulus nicht eine Beute des waltenden Pöbels werden dürfe.

B

Quae in Ezechielem Vatem<sup>3)</sup> superant Gregorii Commenta, et ab ipso compilatore fufures ex uero adpellantur, eiusmodi sunt, ut necesse sit, eum aut nullo, aut male sano spiritu fuisse adiutum in Vate interpretando. Et quid est, quod biographus illum ideo, quod spiritus ipsi adiustebat, uehementer *tristem effustum* esse dicit? Quin contra Gregorius debuit laetari, quod inexpectato auxilio adiuuaretur, ut nullo meditandi labore, nullo errandi periculo, diuinum opus absoluere. Sane hodie multi, necessariis interpretandi praesidiis ac praesul destituti, et quibus ideo negotium male procedit, hanc sibi gratiam exoptaturi forent et in finu eo nomine lacessaturi.

Dicatio intra uelum suspecta est.<sup>4)</sup> Nisi prudens facere fraudem uoluit Syncellus exceptor, uidetur oculis et auribus deceptus, et superstitione imaginatione delusus esse. Postquam uelum perfosset, in mentem ei uenerunt, quae fabulatus est **GREGORIUS NYSSENVS<sup>5)</sup>** de uisa ab Ephremo Syro in concionantis Basilii M. humeris insidente immaculata Columba. Certe ad hanc visionem putandi sunt respexisse ii, qui sequenti aetate humeris Gregorii M. Columbam imposuere, quum uterque uitae Gregorii Scriptor, et Paullus et Iohannes, in eo consentiant, super caput Gregorii Columbam fuisse.

Qui

*durste.* Ceterum **FRIDER. EBERR. RAMBACHIVS** in *Praefat.* huius Temi tertii de uitiae pariter ac uirtutibus Gregorii praeclare egit a pag. 53. ad 68. et haud pauca, a Bowero non obsernata, adferens, ea utiliter suppleuit.

<sup>3)</sup> Insertae sunt Homiliae in Propheticam *Ezechielis* T. I. Opp. laudatae Edit. p. 174. nec melioris notae sunt **PARELLI Excerpta** ex illis, quae T. IV. Part. II. p. 390. leguntur. Nam linguarum

ignarus, omnia sere facrorum librorum verba pro imaginibus rerum futurarum accipiebat, et ubique allegorias sectabatur.

<sup>4)</sup> Antiquitus in quibusdam ecclesiis obtrinebat hic mos, ut ambonem, vel etiam cathedram episcopalem ornarent quadam uela, quae possent obduci et aperiiri. Sed, quin Gregorius non traetaret in templo ad populum, sed domi dictaret Syncello suo Petro: miror in sella domestica uelum fuisse, eoque obduco.

Qui rem diligentius inspicerit, is clare intelliget, bonum Petrum fabulam a Paullo acceptam in suam rem adhibuisse, atque illam eo consilio repetuisse, ut iis, qui Gregorianos libros igne abolendos censuerant, religionem atque impedimentum obiiceret. Quem quod Iohannes ait rei ueritatem iure iurando et repentina morte obsignasse: uidetur Iohannes eam narrationem, quam similimam apud GREGORIVM TVRONENSEM\*) legerat, rcfere ac renouare uoluisse.

Ceterum ex eodem Iohanne Diac. discimus, saeculo iam nono imagines Gregorii cum Columba pingi solitas fuisse, sed ut Columba super caput tractantis esset. Itaque recentioris aetatis inuentum est Columba humero illius infidens, et eius auriculam rostro tangens. Videtur monachorum natio, alias otiosa, pristinam eius formam ideo mutasse, ut Basiliana haud absimilis esset.

Deinde, ut Iohannes fabulam de Columba Gregorii nonnihil variauit atque auxit, sic idem porro monachi eriam ipsi fecerunt. Paulus memorat Columbam super Gregorii caput eo tantum tempore sedisse, quum is visionem ultimam Ezechielis interpretaretur. Iohannes autem narrat, Columbam super caput Gregorii tractantis, id est, uel scribentis, uel dictantis, uel pro concione uerba fa-

## B 2

cientis,

ducto Gregorium exceptori distalle, atque hunc id perforasse. Facit quidem ea pictura, quam Reuerendiss. GERBER-TVVS exhibet, Gregorium sedentem in eiusmodi sella, quae ad latus uelum habeat ornamento, sed apertum illud non obdaetum. Ceterum de Veliis Eccl. multa eruditte habet HERIB. ROSWEYDVS ad Pauli-

num Nol ed. Par. 1685. T. II. App. p. 95.

u) Encom. Ephremi Opp. ex edit Par. 1638. T. III. pag 635. HERIBER-

TVS ROSWEYDVS in *Vitis Patrum* exhibens Anonymi Graeci narrationem de Ephremo, quem commemorans ait, uiam a se Columbam esse in Basili M. humeris infidentem, adnotat p. 131. Simile habet in *Vita Gregorii*. Sed haud intellexit, Columbam Basili natantes praebuillie Gregorianae.

x) Lib. de Gorio Confessor. c. LVIII. pag. 941. edit. Ruinart ait: „Subdiaconus aegre ferens, quod uirtus S.

„Tro-

cientis, esse frequentissime perspectam. At monachi peringeniose fabulati sunt, quum Gregorius precibus a Deo petisset, ut sibi donaret modulationum faciendarum artem, ad eius preces descendisse Spiritum Sanctum in figura Columbae, atque adestu suo Pontifici cantum infudisse.<sup>y)</sup> Quoniam scilicet cantus ecclesiastici disciplina, quae tot et tanta monachis commoda et emolumenta ferret, Gregorio debebatur, eam non ab homine profectam, sed a numine diuino traditam existimabant, uel existimari uolebant.

Atque hi fere sunt natales eius consuetudinis, quae in imaginibus Gregorii M. pingit Columbam, dextro eius humero insidentem, et auriculae adhaerentem. Dominatur ea consuetudo praeci-

<sup>y)</sup> Troiani occuleretur, conuocato episcopo cum clericis - omnia, quae a sancto audierat - referavit - adiens haec: "et ut probetis uera esse, quae loquor, finito sermone finem facio uitae, et his diebus, clausis oculis obiit.

Vt intelligatur, quale in hac causa fuerit monachorum Saec. XI. ingenium, adferam paucā ex cap. III. Tr. de Musica quomodo per Gregorium fuit inuenita, iohannis cuiusdem PRESBYTERI, quae Reuerendiss. Fr. GERBERTVS de Cantu et Musica Sacra Vol. II. pag. 2. exhibet: "Gregorius, inquit, compexit teneram fidem ad Christum conuerorum paganorum, qui nuptias, nundinas, aut aliqua gaudia celebrantes, discurrebant ad musicorum melodia et ludibria. Et nunc cogitauit si esset ei placitum, per musicorum artem in ecclesia laudem, ut David in V. T. et preces fudit ad Dominum, ut donum ei in carminibus dedisset. Tunc nocte illa uidit ecclesiam ornatam tabellola, ubi ars musica scripta erat, nomina tonorum et neumatū numero, et uo-

cum genera atque chordarum et modulationis cantico metri atque symphoniae. Et tunc iterum preces fudit, ut hoc, quod uiderat, per donum Spiritus S. gratia Deus illi eos ostendisset: "Et descendit Sp. S. super eum, et sic iam componere coepit arce disponere omnia per Sp. S. gratiam. Disposuit atque neumatizauit antiphonarium, instruxit cantorum scholae, et canica melodis alternantibus modulis dulcisona carmina misit, laetantes choros ordinante in ecclesiis, atque compositione doctrinam instruxit, ut clericorum multitudo disciplinae artis imbuta, regalaribus instrumentis dedita, insimul coadunati unus spiritus una fides in eis, gemitiibus inenarrabilibus cum Sp. S. una uoce simul et mente, benigna uoce proferunt ex ore sibilum, atque organum imponunt, dirigunt uoces ad astra celorum etc. Composuit choros in ecclesia, sicut triplices voces pugnantur per directum ordinatae paratus, tres dehinc et tres deinde ad Olympiadis iocum exempla ubi illa pro-

pue in imaginibus ex Vrbe adlatis<sup>2)</sup>) et in picturis Codicum Liturgico-  
rum, maxime Antiphoniarum.<sup>3)</sup>

Non possum igitur satis mirari, quod Reuer. Princeps GER-  
BERTVS, tantus vir, qui omnis Antiquitatis ecclesiasticae callen-  
tissimus est, et eorum ipsorum Scriptorum, quos pro heterodoxis  
habet, lectionem adeo non negligit, ut meas quoque opellas Li-  
turgicas non semel commemoret, de iisque iudicium ferat, eiusmo-  
di pictura sic delectari potuit, ut exemplo eius in aerea tabula in-  
ciso, egregium suum opus de *Canis et Musica sacra* exornari iu-  
beret.

„magis in misericordia vestra et misericordia vestra in me“  
„ha exercebantur, et magister per me-  
diū ibat etc.

2) Verba sunt IOH. MOLANI Hisp.  
S. S. Imag. Lib. III. c. 9. extremo,  
ubi obseruat Gregorium alias pingi  
sacrificantem ante imaginem palliatis  
Dominicæ, quia normacum Officiorum  
Sacrificiis infinitivit. h. e. Sacramentarii  
compilauit ex variis variiorum  
doctorum orationibus, addendo, abici-  
endo, mutando et in unum coniun-  
endo, præcipue Canonem Missæ con-  
dendo. Romani autem non contenti  
sunt constanter servare Gregorii Co-  
lumbam in imaginibus, faciunt id quo-  
que eius in Elogijs. Ita in Gregorii  
Elogio, quod exhibet ARINGHIUS lib.  
laud. P. I. p. 163, haec leguntur verba:  
*Dum unus præ omnibus, pro omnibus*  
scribit atiuniae Columbae oraculo, signo  
Nunatis insignitus est. Haud enim alio,  
quam Columbae Columba, et Colum-  
nae Columna iudicio commendari debuit.  
In Elogio apud PALATIVM de Gellis  
P. P. Rom. T. I. p. 372, haec habentur:  
Gregorii sunt libri, quos exaranti Gre-

## B 3

Multo

gorio dictauit amor diuinus. Ni dicas  
Jesu Christi Deum, dictauit Gregorium.  
Verius est alas Spiritum Sanctum com-  
modasse scribenti quem specie Colum-  
bae obviantem Gregorii capiti non  
unus uidit.

3) Quod eo magis unum censeri de-  
bet, quia vnde incertum adhuc est, Ian  
Gregorius conjecterit *Sacramentarium*,  
*Graduale*, *Reponsorie* etc. Nam quum  
autem Iohannem Diaconum qui trecentis fere  
annis post Gregorium scripsit, nemo  
alii memorer, Gregorium eiusmodi  
Liturgicos libros compoſuisse, quale est  
Antiphonarium, et ea de re taceant  
Greg. Turonenis, Iudor's Hispal. Beda,  
Paulus Diaconus item, qui Saec. IX. de An-  
tiphonario libros ediderunt, *Amalarius*  
et *Agobardus*: non une causa rem in-  
dubium vocarunt Dupinus, L. G. ab  
Eckhart, alii. Quandiu autem incertus  
ad hoc Auctor est, non debet projectus  
Gregorius in limine libellorum huius ge-  
neris pingi tanquam, qui a Spiritu S.  
hanc cantus rationem directo accepisset.

Multo uerior et praestantior est illa Gregorii imago, quam ex uetus tabula Gregorio in uiuis agente picta,<sup>b)</sup> et in Romano monasterio ad Clivum Scauri nono saeculo a se uisa, describit JOHANNES DIAC.<sup>c)</sup> Ibi nihil de Columba, nihil de tiara aut uestibus pontificalibus deprehendes, quibus eum recentior aetas exornauit. In uultu regnat humilitas, et quae tribuuntur ei uirtutes reliquae, in habitu simplicitas. Idem complex habitus cum uultus modestia regnat in iconismo, quem HUGO MENARDVS ex antiqua desumtum imagine, cui litteris Graecobarbaris nomen *Papae* inscriptum est, in limine *Sacramentarii Gregoriani*, a se editi, conspiciendum proponuit.<sup>d)</sup> Paullo maiorem autem pree fert ornatum ea imago, quam Benedictini suae Operum Praefulsi Editioni, praefigendam curarunt.

In quibus imaginibus quum Columbae figura non ad dextram  
Grego-

b) Testatur hoc tabula, quam ad posteriorem capitis partem Gregorius habet. Quod uiuentis indicium est. Antiquitus enim, qui uiuus pingebatur, tabula quadrata eius capiti subiiciebatur. Hinc fluxit confundit, ut Sancti iam demortui, quod perfecti essent, circulo seu figura Sphaerica, quae est omnium perfectissima, pingerentur.

c) Vitae Gregorii Lib. IV. p. 176. T. IV. Opp. Greg. ex edit. Benedict. Quem locum integro commentario illustravit ANGELVS ROCCA in *Thesauro Pontificiar. sacrarumque Antiquitatt.* Romae 1745. in fol. edit. Tom. II. p. 368. ubi imagines familiae Gregorianae in aes incisae cernuntur, ex aedicula S. Andreæ prope Gregorii templum.

Gregorius in medio, a dextra Gordianus pater, a sinistra Silvia mater. A qua Gregorii imagine multum discrepat ea, quam exhibet ex antiquis Augustanae bibliothecae exemplaribus per RAphaelē Cuſtōdem aeri incisis THEOPH. SPIZELIVS in *Vet Academia Iſu Chr.* p. 187. ubi cum nimbo et eiusmodi habitu adparet, quo hodierni Pontifices Rom. utuntur. Et hanc rationem servant recentiores libri plerique, de Vitis Pontificum Rom. ut PLATINA cum delineationibus imaginibus editus, si exceptus ALPH. GIACCONIVM ut supra obseruatum est, ubi a sinistra adiuat columba, oculum, non aurem Gregorii petens, et eum sinistrum. Apud PALATIVM uero in inferiore parte columnae cui simulacrum Gregorii impositum, qua-

fi

Gregorii aurem posita deprehendatur: haud procul a uero aberraverit, qui Saec. XI. monachos dixerit mutasse formam, atque aliam nouam, antiquioribus ignoratam substituisse. Quo augustiora enim redderent Gregorii scripta, quae ingenii et consiliis eorum tantopere adcommodata erant, e) nugari sunt, quae scripsisset Gregorius, ea omnia singulare quadam ratione, ab ipso Spiritu Sancto in Columbae visibilem speciem conuerso, in mentem illi data esse atque infusa. Quarum nugatarum fidem plane confirmari putabant illis narrationibus Pauli et praecepue Iohannis Diac. maxime incertis atque fabulosis. Nulla est autem Iohannis omnino auctoritas, quippe qui tot aliis locis fabulas miscere atque cumulare solet. f) Atque, ut uerum prodiderit: non possumus certi esse, annon Petrus Diac. ut Gregorii scripta posteris conseruaret, huiusmodi fraudem adhibendam putarit. ARCHIBALDV S quidem BOWER ita plane iudicar, Petrum similiter fraude usum esse, ut multis antea saeculis

## Julium

si numisma habetur, ubi cum tiara pontificali fedens, manu librum tenet, dextra pennam aduolanti. Columbae portigit, uel ab ea adlatum accipit.

d) Edit. Paris. an. 1642. in 4 mai.

e) Omnim Gregorii scriptorum longe ultimum et maxime contemnendum, sunt *Dialogi*, pleni vanissimarum et inscittissimarum atque insulfissimarum fabularum: adeo ut, si ipse has nugas vere ac serio credidit, oporteat eum nonnunquam pueriliter delirasse. Primus ille reuelatum per uisa et somnia purgatorium uidit. Quae res apud credulos homines fidem nostra, monachis uberrimo quaestio fuit. Si quis animarum a corpore separatarum uollet statum nos-

fe: Gregorium siat non pauca de illo suis lectoribus aperire.

f) Eius generis sunt, quae Lib. 2. cap. 44. referit de Traiani Augusti anima Gregorii precibus ab infernarum sedium poenit liberata, de apparitionibus Gregorii post ipsius mortem, de miraculis ab eo editis, de lectulo, quo recubans modulationes confecerit, de flagello, quo fit pueris minatus, et alia partim incredibilia, partim illo viro indigna. Ut quod, matrona ridente quadam, quum in Eucharistia dixisset ad eam: *Corpus Christi*, Gregorii precibus hostia primum in unam carnem fit mutata, deinde rorbus in pristinam formam redierit. Quae res ad fidem dogmati de transubstantiatione faciendam, est ex cogitata.

Iulium Proclum, qui, ut sublato e uiuis Romulo Senatum seruaret,  
non est ueritus mendacii consilium capere.<sup>a)</sup>

Ita nullis amplius prodigiis, aut apparitionibus aliis, opus futurum erat, ut Gregorii scripta probarentur, et ad posteros transmitterentur. Horum scriptorum, quae ad nostram aetatem pertinuerunt, ec quod unum tale est, ad quod componendum ei Spiritus Sanctus opem singularem ferre debuisse videatur. Nonnulla ex iis animum spirant, Gregorio VII. quam Gregorio I. dignorem. Liber Dialogorum si periisset, melius profecto Scriptoris existimationi consultum fuisset.

Sed nempe quoniam Gregorius erat superstitionis atque inanum ecclesiae rituum stator egregius, et praeter ea omnium Scriptorum, qui profani dicuntur, osor ac hostis acerrimus:<sup>b)</sup> non poterat nos is maxime gratus acceptusque monachis atque clericis esse, hominibus indoctis, ignavis atque improbis, qui bonarum litterarum ac philosophiae studia tanquam scopolos horrebant, et uitari cupiebant, ad quos allisa ipsorum dignitas et auctoritas, fraudibus comparata et excitata, necessario confringi deberet.

Haec

g) Locus supra addatus est Nota r.)  
Neque eo minus tamen haec Iohannis fabula locum obtinuit in *Breviario Romano* ad diem XI. Mart. Lettione VI. quo die memoria Gregorii in Ecclesia Latina recolitur. Graeci eodem die Gregorii memoriam celebrant, sed prudentiores in hac causa, tantum comme-

morant Gregorii liberalitatem in pauperes, ut habet *Menologium* Gr. a Cardin. ALBANO Urbini 1727. editum Tomo III. p. 13. Est quoque in Kalendario Ecclesiastico Graeco Moschae Gregorii in eum diem memoria ubi adnotatum τῇ ἡσίᾳ πατέρος ἡμῶν Γεργορίῳ Πτάτιον apud Ios. SIM. ASSEMANN Kalen-

Haec igitur monachorum et clericorum potens natio; Gregorium sua omnia diuinitus accepisse iactabat, ideoque illum ita pingendum censebat, ut ei Columbam inspiratricem, tanquam comitem indiuulfam, adiungerent. Non enim licebat in Ecclesia piëtam aut fictam naturae diuinæ imaginem sub aliis figuris exhibere, praeterquam sub iis, quibus Deus se ipse hominibus conspiciendum præbuisse in sacris libris memoraretur. Ut sub figura Vocis de caelo, uel, quemadmodum est apud Danielem, sub figura Seris, id enim est Antiquus dierum, sedentis throno, et ante se habentis libros aperitos. Quae figura indicat aeternam atque infinitam sapientiam, intentum omnium actiones et cogitationes.<sup>i)</sup>

Hinc pingendum curarunt Christum forma hominis, Spiritum Sanctum autem, specie Columbae, qua tum in Christi caput descendit, quum aquis Iordanis a Iohanne tingi uoluisset. Nam eo tempore candidus ales desuper aduolat

*Corpore amque gerens speciem descendit ab alto  
Spiritus, aereum similans ex nube Columbam*

ut IVVENTVS<sup>k)</sup> canit. Proximum igitur erat, ut aetatis minus cultae

Kalendar. Ecclesiae uniuers. Romae 1755  
editis Tomo VI. p. 177.

h) Constat enim eum iussisse comburi Livium, et bibliothecam totam Palatinam ab Augusto Imp. conditam, item uehementer ira exarisse in Archiepiscopum Viennensem, quod is in sua Diocepsi Grammaticam doceri permisisset.

i) Probe in hunc morem commentatus est BENEDICTVS XIV. in Epist. ad Episc. Auguftanum an. 1755. perfcripta.

k) Hist. Euangeli. Lib. I. uerf. 358. Iu-  
uabit autem hoc loco commemorare, quam  
exhibit PAVLLVS M. FACIAYDVS. in  
Anti-

C

cultae homines, eum, qui prae aliis bene scripsisse ipsis videbatur, censerent ducem plane singularem habuisse Spiritum Sanctum, et hoc nomine Columbam adpingerent. Quod ipsum Scriptori inuenusto, et profecto parum eleganti, Gregorio, accidisse uidemus, quia eius ingenium aetatis rudis et inficietae laudem ferre poterat.

Mirum igitur nemini esse debet, homines illius aetatis, quorum ingenia litteris et artibus humanitatis ac sapientiae haud quam exculta essent, ad somnia et fabulas de prodigiosis adparitionibus diuini Numinis et caelestium animarum confugisse. Quibus fabulis insauste sane GREGORIVS in *Dialogis* praeierat, si modo isti Dialogi sunt ab eo profecti. Diuturnam consuetudinem sequuta est inferior aetas. Nam THOMAE AQUINATIS imaginem *Columba*, humero eius imposita exprimebant, quod is, nescio cui, Reginaldo dixisset, quidquid sciret, non tam studio et labore se peperisse, quam diuinitus traditum accepisse.<sup>1)</sup> Quia FVLGENTIVS spiritum intelligentiae et insignem illuminationis gradum adscribit AVGVSTINO, Benedictini Monachi in eius *Opp. Editione Tom. XI.* imaginem Augustini, in scribendis libris occupati, ita pingendam curarunt,

ut

*Antiquitatt. de Cultu Ioh. Bapt.* Romae editis pag. 58. memorabilem huius theophanias picturam, ex Musio Basilicae S. Marci Venetar. ibi Dominum cernis, qui fluvio mergitur, et recinato paullisper ad petrus capite, se rem grauissimam ac diuinam facturum illuc uenisse declarer. Adstat in ripa Iohannes macie confesus, promissis sine lege

capillis, hispida barba, renoluto desuper palliolo. In aduersa fluminis ripa longo ordine stant angeli, nitenti ad caput circulo nimboque, longa ueste cum dignitate ad talos profuentem, qui pia confusatatione numen maiestatemque Dei Filii reverentur. Micit in summo uerice fulgidum fidus, quod non ornatus canula illic positum esse uidetur, uerum ut co-  
gite-

ut Columba uolatu suo ingens lucis flumen secum trahens, idem in faciem praesulnis infundat, nec caput tantum, sed totum hominem collustret.

Non deest, OPTIMI CIVES, nobis hodie SPIRITVS SANCTVS. Nam, si uerbo Dei scripto didicimus recte uti, ex eo nobis omnia pariter diuinitus tradita uenient. Perpetuo enim librorum sacrorum lectoribus adest Spiritus Sanctus, et, qui eos pia mente ac secula opera trahant, eorum et intellectum illuminat, et uoluntatem ita dirigit, ut imitari queant Columbae uirtutes, quae, ut RUPERTVS TVTIENSIS ait, *sine felle est, grana quaeque candidiora colligit, genuum pro cantu habet.*

Idem Spiritus in animis nostris domicilium eriget, si erimus in scrutando Verbo Diuino impigri et sollertes. Enim uero ad intelligendos interpretandosque sacros libros necesse omnino est, ut adferamus probam et adcuratam Linguarum et Historiae ac Philosophiae scientiam. Non enim doctrina et eruditione solet quenquam Spiritus Sanctus augere, sed eius mentem atque animum ducere ac moderari, adiuuanda et confirmanda ratione ac uoluntate.

## C 2

## Huic

gitemus tunc lumen lucemque adparuisse, apertosque suisse caelos.

I) Ita narrat fabulam IOHANNES MOLANVS Historia S. S. Imagin. pag. 117. et conspicias ea forma Thomam in limine libri, quem ALEX. SEBILLE Mogunt. 1652. in fol. edidit, qui liber inscriptus ab eo est, D. Au-

gustini de libero arbitrio interpres Thomisticus. Ibi sistitur imago Thomae stantis in columna, et manu laena tenuentis librum, Columba in finiture eius humero insidente. Praeter ea tenet dextra pennam; ex qua in Fulgentium, Anselmum et Augustinum, qui stant ad columnam, flumen decurrit.

Huic Numini Diuinitatis iam hos festos dies Pentecostales anniversarios Ecclesia est celebratura. Qui dies iam olim ex vetere lege *Deuteronomio XVI, 11.* ab omnibus Iudeis laetissimi agebantur.

Agite igitur, CARISSIMA PECTORA, parate animos uestros, et pie carmina Deo, tum in eius cultu publico uniuersi, tum priuatim quisque apud se, dicte: ut Spiritus Sancti fructum, quem Apostolus in laetitia possum esse dicit ad Galat. V. 22. uere atque large percipiatis. Neque veterem ceremoniam et debitam liberalitatem negligite, sed procedite nobiscum ad altare. P. P. in Acad. Vitebergenfi ipsis Vigiliis Pentecost. An. MDCCCLXXX.



**ULB Halle**  
004 058 02X

3



56







ERNESTI FRIDER. WERNSDORFII  
TH. D. ET P. P. ORDINIS SVI SENIORIS ET  
H. T. DECANI  
COMMENTATIO  
DE  
COLVMB A  
AVRICVLAE GREGORII M. ADHAERENTE  
IPSIS  
PENTECOSTALIBVS SACRIS  
A. N. MDCCCLXXX  
P. P.



VITE BERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII